

f) In dominicam seq.

Cf.: *Patronus* (transl. Solemnitatis Patroni in domin. seq.); *Reductio festorum*.

Clero regni Poloniae concessam fuisse facultatem transferendi festa nonnullorum SSrum ad dominicam infra eorum octavas ob majorem populi concursus; cum autem, ut saepe accidit, aliquod ex dictis festis incidat in die dominica, quid faciendum in casu? S. C. resp.: Festa praedicta celebranda esse in diebus propriis, non autem in dominicis sequentibus in casu de quo agitur. n. 4272 die 16. Julii 1757.

Cum in aliquis dioecibus Poloniae ex indulto ap. transferantur festa in dominicas, quaeritur: an de dictis festivitibus cantari possit de dictis festis missa sol.? S. C. resp.: Affirmative non omnia missa conventuali de festo occurrente. n. 4361 ad 11 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium 1.: Quum ex Indulto ap. statutum sit quaedam festa in Galliarum Regno celebranda esse dominica proxime occurrente, quaeritur: quae sit dominica haec proxime occurrens?

2. Utrum translatis dictis festis translata intelligatur solemnitas tantum an potius una cum solemnitate tota etiam octava translata intelligatur pro Officiis in choro? S. C. resp.:

Ad 1.: Dominica proxime occurrens intelligenda est Dominica, quae festum subsequitur.

Ad 2.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Servatis in omnibus rubricis. n. 4658 ad 1 et 2 die 17. Julii 1830.

Ad dubium I.: Vi indulti reductionis Festorum V. Id. Apr. anni 1802 signati etiam in Belgio quorundam Festorum solemnitas ad Dominicam

proxime sequentem translata est cum Missa solemniter de Festo translato in omn. Eccl. parochialibus more votivo cum unica oratione, hinc quaeritur 1.: An hujusmodi Missa solemniter cantari etiam debeat vel saltem possit in Ecclesia Regularium et Monialium? Et quatenus affirmative, quaeritur 2.: An praefata Dominica in his Communitatibus, in quibus Missa convent. legitur non autem cantatur, haec Missa convent. legi debeat vel possit de solemnitate, an potius dici debeat de officio occurrente?

II. Plures Parochi in Dioec. Gandaven. primarium suae Eccl. Titularem vel etiam Patronum praecipuum habent S. Joannem B., cujus Solemnitas vi praenotati indulti ab VIII. Cal. Julii transferri debet ad insequentem Dominicam, in qua quoties occurrit solemnitas ss. Ap. Petri et Pauli; dubitatur, de quo prius agendum sit, nam juxta alias decreta a S. R. C. solemnitas inferioris dignitatis ad sequentem Dom. transferenda est, ac proinde in casu quaeritur: Utra ex praenotatis solemnitatibus sit inferioris dignitatis ac per consequens ad Dominicam proxime sequentem transferenda?

Et s. eadem C. rescribendum censuit ad I. Quoad primam quaestionem servetur indultum; quoad secundam: quoties in indulto comprehenduntur Eccl. Regularium et Monialium Missa Solemnitatis semper celebranda foret cum cantu, nam Missa convent. semper esse debet de officio occurrente.

II. „Prius agendum de s. Joanne B.“ Atque ita rescripsit, definivit ac servandum esse mandavit. N. 5049 ad 2 et 3. die 23. Maji 1846.

Ad dub.: Utrum sit in votis s. sedis ap. et indulto diei 9. Apr. 1804 sit consentaneum, ut solemnitates Epiph.

SS. Corp. Chr., ss. ap. Petri et Pauli et ss. Patronorum cujuslibet dioecesis et parochiae in dominicam proxime sequentem in Gallia transferentur quoad omnia, id est quoad feriacionem et octavam simul et officium insuper sive publicum sive privatum, sicut in sua dioecesi Coenoman. ordinatum esse jam dixit? An vero ipsa officia praedictarum festivitatum cum earum octavis seu publice seu privatim propriis occurrentiae suae diebus juxta antiquam et universalem caeterarum ecclesiarum morem celebranda sint, solae vero solemnitates in proximam dominicam differendae sint, sicut pro dioecesi Mechl. statutum esse ex responsione diei 21. Jun. 1804 concludere est?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirm. ad secundam juxta mentem Card. Legati et ejus instructionem et juxta praxim S. R. C.

Die (12) 29. Novb. 1831 n. 4671.

Quum sacerdos Joannes Joseph Loisel in seminario Tornacensi sacerdotum canonum professor comperiat nonnullas adhuc praebere difficultates indultum reductionis festorum usque ab anno 1802 ab Emo Domino Cardinale Caprara promulgatum, Sacrorum Rituum Congregationis sententiam requisivit super dubiis quae examinanda diluendaque proposuit, ne hujusmodi in re ubiquitas ulla supersit. Nam quum vi ejusdem Indulti aliqua festa in dominicas sequentes fuerint translata, videlicet festa Epiphaniae Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Sanctorum Patronorum cujuslibet dioecesis et parochiae, dubium circa hanc translationem [subortum sustulit praelaudatus Eminentissimus responso ad vicarium generalem archidioecesis Mechliniensis die 21. Junii 1804 directo,

iisque verbis concepto: „Sola solemnitas praefatorum festorum differatur ad dominicam sequentem, in qua officium a clero tam publice quam privatim ac missa celebrabitur juxta Rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem; cantetur tamen una missa solemniter de festis illis translata more votivo cum unica oratione minime omissa in Cathedralibus aliisque Ecclesiis, in quibus officium publice agatur et adsit sufficiens numerus Ecclesiasticorum, altera missa conventuali de dominica vel festo occurrente.“ Ex quo decreto plura emerunt dubia, nimirum:

1. His verbis: *more votivo cum unica oratione* innixa omnia Belgii calendaria ecclesiastica praescripserunt missam solemnem in dominica proxime sequente cantandam esse votivam de festo in qualibet parochiali ecclesia et absque ulla commemoratione et ita hucusque servatum est. Jam vero anno proxime elapso quidam tum hac ratione moti quod missa votiva ab Emo Legato praescripta non discrepet ab ea, de qua fit mentio in Rubricis generalibus missalis part. 3. tit. 9. n. 14, tum decretis innixi a Sacra Rituum Congregatione jam pridem emanatis ac specialiter decreto generali diei 8. Februarii 1774, necnon et auctoritate doctissimi Gardellini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris docuerunt in hac missa solemniter, si alia, nempe de festo occurrente, in Ecclesia parochiali non cantetur, faciendam esse commemorationem dominicae vel festi occurrentis. Quaeritur ergo: utrum consuetudini standum sit vel potius utrum missae solemniter, ubi alia non canitur de dominica vel festo occurrente, addenda sit dominicae vel festi occurrentis commemoratio?

2. Alterum dubium oritur ex his

verbis: *minime omissa in Cathedralibus aliisve ecclesiis, in quibus officium publice agatur et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, alia missa conventuali.* Quaeritur, utrum illa verba intelligenda sint dumtaxat de Cathedralibus et Collegiatis, in quibus talis missa proprie conventualis celebratur, an vero ad omnes parochiales ecclesias, in quibus adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, extendenda sint? Et quatenus affirmative,

3. Utrum sufficiens numerus sacerdotum censeatur, si alicui ex his ecclesiis ultra parochum tres vel quatuor alii presbyteri tanquam vicarii seu coadjutores paroco sint adscripti?

4. An praedicta missa votiva solemniter celebranda sit non modo in ecclesiis parochialibus sed in oratoriis publicis?

5. An itidem in ecclesiis regulariarum et monialium?

Et Sacra eadem Congregatio in hodiernis ordinariis comitiis ad Quirinale coadunata, consideratis omnibus et inhaerendo aliis decretis in similibus datis, rescribendum censuit

Ad 1: Addendas esse commemorationes in casu.

Ad 2: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 3: Provisum in praecedenti.

Ad 4: Affirmative, dummodo de more in festis cantetur.

Ad 5: Ab unaquaque ecclesia suam servandam esse consuetudinem.

Atque ita rescribere rata est et declarare die 22. Julii 1848.

(Corresp. de Rome 1848—49 Ed. II. p. 42.)

g) Duplicis.

Vd.: *Antiph. maj.*; *Domin. inf. oct. Nativ. Dom.*; *Festa*; *Officium*; *Translatio festor. diversi ritus et dignit.*; *Officium* (transl. in seq. annum; decr. n. 5135); *Occurent.* (festi dupl.); *Transl.* (festi univers.)

Ad dubium: De duplicibus translatis sine die sequenti prae aliis dupl. translatis sed remotioribus? S. C. resp.: Negative, quia de Officiis translatis fit juxta ordinem translationis in paritate tamen ritus ac sine excellentia majoris dignitatis, ut scilicet primum celebretur Officium ab ante translatum et postea fiat de alio loco translato. n. 4119 ad 2 die 2. Sept. 1741. Festum dupl. ante octavam non privil. vel infra eam occurrens alio majori festo dupl. impeditum est transferendum ad diem infra octavam proxime festo dupl. vel semidupl. non impeditam. S. R. C. 22. Sept. 1703 in *Vienen.*

Officium dupl. maj. est anteponendum Officio dupl. minori et ideo faciendum de primo et secundum transferendum. n. 2888 die 6. Maii 1679.

Ad dubium: Quum in Dominica juxta Decretum S. R. C. diei 12. Martii 1618 in Conchen. confirmatum ab altero decreto ejusdem S. C. diei 16. Febr. 1754 in una Urbis agi non possit de Festo duplici translato, quaeritur: an per declarationem factam ab eadem S. C. sub die 7. Dec. 1844 in una Venetiarum dd 2. derogatum fuerit declarationi factae in una Urbis de anno 1754, vel an praedictum decretum in una Venetiarum intelligendum sit de Festis cum Octava in gratiam concurrentis populi alicui Dominicae diei affixis, ita ut hujusmodi in casu impedimenti amandari valeant ad subsequentem Dominicam, si tota hebdomada fuerit impedita, ne in populo ob dilationem Festi ultra Octavam devoti animi sensus minuantur?

EEml et RRmi PP. rescribendum censuerunt:

Non fuisse unquam citatis Decretis derogatum.

Atque ita rescripserunt propositaque dubia declaraverunt. N. 5196.

Dte 17. Sept. 1853.

Festa dupl. et semidupl. translata praeferenda sunt Officio s. Benedicti in hebdomada concessio sub ritu semid. omnibus Congregat. s. Benedicti. S. S. C. n. 3503 7. Febr. 1699. In *Tarvisina.*

Festum duplex occurrens ante octavam non privilegiatam non est transferendum post octavam, sed infra eandem celebrandum prima die non impedita: Sacr. Congr. Rit. 30. Sept. 1579.

Festa duplicia et semiduplicia translata praeferenda sunt officiis semel hebdomada concessis, ita ut festum duplex seu semiduplex etiam translatum, necnon dies octavae sit dies impeditus respectu talium officiorum. Sacr. Cong. Rit. 8. Febr. 1699 et 26. Martii 1706.

Ad dubium: an quando dies 30. Decb. occurrit in Sabb., omitti possit officium de die infra Octavam Nativ. et in eo recitari Officium de dupl. translato? S. C. resp.; Affirmative, non exclusis commemorationibus quatuor Octavarum. n. 4385 die 27. Jan. 1778.

Ordinis Minorum Conventualium.

R. Fr. Petrus Fantini Sacerdos Ordinis Minorum s. Francisci Conventualium S. R. C. supplex adivit et insequentis dubii solutionem instantanter exquisivit, nimirum:

An Ecclesia, cui concessa est facultas reponendi in semiduplicibus translata intra annum Officia dupl.

locum non habentia, reponere etiam valeat aliquod ex translatis praedictis die 30. Dec., quando non incidit in Dominica, et simul ad eam diem transferendum sit Officium Dominicae infra Oct. Nat. D.? Et in casu affirmationis, qua die facere debeat commemorationem dictae Dom., an ipsa die 30., vel praecedenti die 29. utpote prima, quae non excludat commemorationem praecedentis impeditae Dominicae?

Et s. eadem C. ad Vaticanum sub signata die coadunata in Ordinariis Comitiis ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit: Transferri solum posse, quando esset agendum de VI. die infra Oct., non vero de Dom. infr. Oct. Atque ita rescripsit. n. 5159. Die 29. Martii 1851.

Officium de dupl. translato faciendam esse infra octavam s. Patroni, non tamen in dominicis vel aliis festis semid. juxta rubricas. n. 1431 die 24. Jan. 1643.

Festum dupl. occurrens ante octavam non privilegiatam, si est transferendum, transferendum est in diem infra octavam. n. 2903 ad 2. die 30. Sept. 1679.

Vd.: *Transl. festi in aliq. octavam; Octava privileg.*

h) Duplicis in diem Commem. Omn. fid. def.

Vd.: *Commemoratio Omnium fid. def.* (transf. etc.)

Ad dubium: Pluribus S. R. C. decretis statutum fuit de duplici min. occur. vel translato fieri posse in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum; sed quum per decretum ejusdem S. R. C. diei 31. Maji 1817 declaratum fuerit talia Decreta locum dumtaxat obtinere si pro repositione Festi translati nullus supersit dies us-

que ad anni finem, hinc quaeritur: utrum repositio Festi dupl. min. translati adhuc fieri possit necne dicta die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, si pro repositione talis Festi translati equidem adhuc locus supersit ante Anni finem, sed ne reponeretur tali die in causa foret, quia pro aliquo alio Officio ritus semid. vel etiam dupl. min. diebus insequentibus translato nullus alius pro repositione dies superest vacuus ante Anni exitum? S. porro R. C. rescribendum censuit:

„Affirmative quoad Duplicia minima tantum.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5223 ad 1. Die 16. Februarii 1856.

i) In Feriam.

1. In fer. VI. p. oct. Ascens.

In fer. 6. p. oct. Ascens. Dom. potest fieri de festo semid. translato. n. 3244 ad 10 die 11. Augusti 1691.

Potest fieri Officium de Translatis fer. VI. p. oct. Ascens. Dom. n. 2961 ad 3 die 9. Augusti 1681.

Juxta decretum S. R. C. diei 2. Augusti 1691 in Romana Dubiorum ad 10., Feria VI. post Octavam Ascensionis fieri potest de festo semiduplici translato, quod ad aliam diem esset amandandum, si in praedicta feria occurreret dies infra octavam Titularis, quaeritur: an in hoc casu agendum sit officium de praedicta feria, ut autumant nonnulli, vel de die infra Octavam Titularis, cui aliunde symbolum jure competit?

Emmi et Rmi PP. rescribendum censuerunt:

„Agendum de die infra Octavam.“

Atque ita rescripserunt proposita-

que dubia declaraverunt. N. 5196 ad 4. Die 17. Septembris 1853.

2. In fer., de qua fiat Off.

Ad dub.: An officia translata et fixa diebus, quibus aliunde deberet fieri officium de ea, sint tanquam dies propriae eorundem Sanctorum, ad exclusionem cujuscunque alterius translati sancti, qui possit aliquando contingere?

S. C. resp.: Affirmative. Die 28. Julii 1742. In *Tergestina*.

k) Ad libitum.

Vd.: *Sancti ad libitum.* (transl.)

l) S. Martyris.

Ad dub.: An in translatione officiorum ss. Martyrum extra vel intra tempus paschale ad dignoscendum utrum sumi debeat de communi primo loco vel secundo, regula omnino desumenda sit ex Evangelio vel Oratione, si sit de Communi uti S. R. C. decrevit die 11. Septembris 1841 in Namurcen.

S. C. resp.: Affirmative.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. N. 5183 ad 8 die 16. Aprilis 1853.

Cf.: *Missa temp. paschali.*

m) Ex necessitate translatis festi.

Officia, quae ex necessitate transferuntur, locum resumunt prima die non impedito alio officio 9 ll. ut in rubrica de transl. n. 2812 ad 4 die 16. Januarii 1677.

Vd.: *Transl. festi perpetuo translatis.*

n) Cum Octava.

Vd.: *Festum extra suam octav. etc., Festum cum octava; Transl. festi in dom. sequ.* (decr. n. 4658. ad 2); *Titul. Eccles.* (transl. cum octava.)

Festum gaudens octava, si trans-

ferri contingat et dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praefendum esse aliis festis etiam majoris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava vel post eam transferuntur. n. 4493 die 13. Martii 1804.

Festum dupl. 2. cl. habens octavam cadit in dominica impedita officio altioris ritus sed sine octava, quaeritur: utrum officium praedicti festi possit reponi in subsequenti dominica cum alias sit octava ejusdem festi et tota hebdomada sit impedita vel potius debeat fieri de dominica et dictum officium reponi prima die non impedita post dictam dominicam?

S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Die 16. Februarii 1754. In *una Urbis*.

Ad dub.: Die 6. Junii est festum s. Norberti Ep. et Conf. Patroni principalis rit. 1. class. cum Octava; die vero 12. dicti est s. Joannis a Facundo Conf. Patron. principal. ejusd. ritus. Accidit quandoque, ut die 6. Junii occurrat festum Pentecostes ideoque dicta festa Patronorum transferenda sunt ad primam diem non impeditam juxta rubricas, sed in dicto mense dies non impediti post octavam Pentecostem sunt 15. 16. 17. 18., tunc de s. Norberto octava jam elapsa est, non item de s. Joanne jam elapsa est, non item de s. Joanne a Facundo, ideo quaeritur:

„Utrum reponendum sit primo festum s. Joannis a Facundo cum residuo octavae quia dies 15. est dies infra octavam s. Joannis a Facundo et dies infra octavam et dies octavae reputantur tamquam una dies?

S. C. resp.: „Festum gaudens octava si transferri contingat et dies

non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praefendum aliis festis, etiam majoris ritus vel dignitatis prius translatis, quae tamen non gaudent octava vel post eam transferuntur; et detur decretum in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Lusitaniae 13. Martii 1804.“ N. 4594 ad 3 die 12. Aprilis 1823.

NOTA GARDELLINI:

Si standum esset liberaliter rubricae generali, huic dubio respondendum fuisset: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*, videlicet prius translatum reponendum esse in primam diem non impeditam: sed quoniam, dum rubricae dispositae fuerunt nec translationes tam frequentes erant neque tot festa decorabantur octava, data equidem fuit regula generalis, sed non omnes casus contemplati fuerunt, qui contingere imposterum poterant ex adjectione festorum et octavarum. Ideo S. C. tunc ritibus praeposita, quae rubricarum interpretis est juxta diversas contingentias, id declarat, quod forte non videtur sufficienter expressum et iis, quae non fuerunt praevisa, opportune consulit. Talis est casus, qui in dubio proponitur et decisus fuit in una *Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae sub die 18. Martii 1804*. Primum enim ampliatum fuit iudicium; mox vero, re maturius discussa, definitum fuit, quod in concursu duorum festorum, quae gaudeant octava et transferenda sunt, illud in repositione praevaleat, quod, licet posterius sit, diem tamen liberam habet infra suam octavam. Non est enim privandum eo, quo gaudet privilegio habendi officium seu commemorationem in diebus, qui de octava supersunt; quo sane privilegio

frui nequeunt festa anteriora, quorum octava suum jam terminum habuit. Quoniam igitur casus, de quo in dubio, idem est, ideo ob identitatem rationis eidem non alia conveniebat responsio.

Ad dub.: An officium quodcumque cum octava incidens in dominicam, quoties in die propria praepeditur ab alio festo majoris ritus vel dignitatis neque reponi possit infra octavam, recitari valeat in die octava, scilicet dominica immediate sequenti?

S. C. resp.: Affirmative. N. 4992 ad 2 die 7. Decembris 1844.

o) In aliquam Octavam.

Vd.: Octava (privil.); Octava ss. Corp. Chr. (transl.); Transl. (festi perpetuo transl.) Sancti ad lib. (transl.)

In occurrentia officii dupl. Calendarii rom. cum officio habente octavam, de eo fieri debere infra octavam prima die alio festo dupl. vel semid. non impedita, juxta rubr. 7. Brev. rom. de octavis n. 2. et 10. de transl. fest. num. 3.

De officio semid. fieri debere die immediate sequenti, scilicet secunda die infra eandem octavam, quae si fuerit alio festo dupl. vel semid. impedita praedictum officium transferendum post octavam juxta rubr. X. de transl. festorum n. 5.; neutrum tamen transferri debere in diem fixum, nisi aliter indultum fuerit a Sede apostolica.

Officia autem ad libitum ritus dupl. et semid. infra octavam dictam occurrentia non posse transferri sed debere omitti ex decreto gener. de officiis Sanctorum ad libit. non transferendis 24. Januarii 1682.

Si officium rom. et proprium sunt ejusdem ritus, servari debere rubr. 10. de transl. fest. n. 6. N. 3301 die 17. Januarii 1693.

Ad dub.: An possit assignari dies quavis sit infra octavam privilegiata, ut puta infra octavam Patronorum, quae plures sunt in regno Poloniae?

S. C. resp.: Hujusmodi festa posse stabiliri infra illas octavas, quae hujusmodi festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut est octava Corporis Christi, quae admittit duplicia currentia, non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas octavas, quae hujusmodi festa occurrentia excludunt, juxta regulas praescriptas in rubr. de octavis num. 3. Die 15. Maii, 1745. In una Ord. Disc. SS. Trinit.

Ad dub.: An festa perpetuo translata, etiamsi sint semidupl., transferri possint in dies infra octavas non privil. in quibus fieri deberet de octava, tamquam in dies proprias?

S. C. resp.: Affirmative. Die 7. Decembris 1743 ad 2. In Mediol.

p) Ordinis et Dioecesis.

Vd.: Calendar. Congreg. ss. Redemptoris (decr. n. 4581 ad 3 nota); Translatio festor. ejusd. ritus et dignit.

In occurru non licet transferri officium dupl. proprium ordinis causa faciendi aliud dupl. ad libitum. Num. 3073 ad 10 die 2. Decembris 1684.

Fr. Cyriacus Aller Ord. Min. strictioris observantiae s. Francisci in Provincia s. Leopoldi in Tyroli Vicarius ac moderator Chori in Conventu s. crucis Oeniponti Dioecesis Brixinensis S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii demisse supplicavit: Cum festum b. Petri Baptistae et Sociorum Martyrum Ordinis Minorum dupl. secundae classis, quod alias in ordine nostro die 5. Februarii celebrari solet, in hac autem Dioecesi Brixinen. perpetuo impediatur a festo dupl. I. cl. s. Ingentium et Albuini Episcoporum, qui

dictae dioecesis sunt patroni magis principales. Ideo quaeritur: Utrum festum b. Martyrum nostrorum debeat aut possit celebrari 6. die Februarii non obstante, quod ista dies de facto ex decreto istius S. C. 12. Julii 1664 in Calendario Franciscano approprietur tamquam propria Sedes s. Agathae V. et M.? Et si ita, quonam die postea fixe celebrandum erit festum semidupl. s. Agathae? Quod si autem festum Beatissimorum Martyrum nostrorum transferri debeat, quaeritur: An non perpetuo transferendum sit in diem 17. Februarii ex hac ratione, quod omnes alii dies apud Fratres Minores supradictae dioecesis impediuntur festis novem lectionum?

Et eadem S. R. C., referente Emmo et Rmo D. Card. Gabrielli, respondendum censuit

Ad 1. „Festum beatorum Martyrum Petri Baptistae et Sociorum celebrandum perpetuo die 16. Februarii.“

Et ita declaravit ac servari mandavit. N. 3787 ad 1. Die 16. Junii 1708.

q) Ordinis et universalis.

Vd.: Transl. festi part. et universalis.

Ad dub.: Si incidat in eundem diem dupl. off. 9 II. ritus aequalis, unum Ecclesiae universalis, aliud vero Ordinis Minorum, et ambo transferuntur, quid est agendum?

S. C. resp.: Officium universale prius persolvendum, particulare posthabendum; festa particularia majoris ritus minori praeferenda esse, etiamsi in Calendario pro universali Ecclesia descripta. N. 3497 ad 3. die 27. Septembris 1698.

r) Particularis.

Vd.: Officium particulare; Transl. festor. ejusd. ritus.

Si officia, quae recitari debent in

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

aliquibus regnis, sunt ejusdem ritus et dignitatis, an sit praeferendum officium loci officio in proprio religionis Calendario descripto?

S. R. C. resp.: Praeferendum esse off., quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur ad formam rubricae de transl. fest. n. 6. Die 20. Martii 1683.

Ad dub.: Officia concessa alicui regno, nationi, dioecesi, civitati aut oppido, si ob occursum aliorum festorum celebrari nequeant diebus assignatis, suntne transferenda?

S. C. resp.: „Juxta decreta alias edita vel omittenda vel imploranda facultas transferendi.“ N. 4669 ad 39 die 12. Novembris 1831.

Juxta responsum S. R. C. de die 12. Novembris 1831 ad 39 officia concessa alicui regno, nationi, dioecesi, civitati aut oppido, si ob occursum aliorum festorum celebrari nequeant diebus assignatis juxta decreta alias edita, vel omittenda vel imploranda est facultas transferendi; quaeritur:

1) An hoc sit intelligendum de solis officiis aut festis ad libitum?

2) Si debeat intelligi de omnibus officiis, petitur facultas pro facienda translatione officiorum, quae dioecesi Mechl. sunt propria, quum illa translatio hactenus facta fuerit in praefata dioecesi, immo ab immemorabili tempore in toto Belgio translata fuerint festa ibidem celebrari solita, v. gr. s. Aloysii Gonz. etc., quando in diebus propriis occurrebat impedimentum?

S. C. resp.: Specialiter intelligitur de officiis affixis certis diebus, nimirum vel in feriis vel in dominicis.

Die 12. Septembris 1840 ad 3 in Mechl.

Officium particulare alicujus dioecesis vel religionis, quod occurrit die 25. Februarii, est transferendum in anno bissextili ad primam diem non impeditam, dummodo sit duplex primae classis. Sacra Rituum Congregatio 7. Septembris 1680.

Si occurrerint vel fuerint transferenda duo festa ejusdem ritus, quae unica die occurrerent, quorum unum sit universale et alterum particulare alicujus dioecesis vel religionis, prius fiat de particulari, nisi obstet ratio majoris dignitatis. Sacra Rituum Congregatio 27. Septembris 1698.

s) Particularis vel universalis.

Cf.: *Officium particul.*; *Transl. festi in aliq. octav.* (decr. n. 3301); *Transl. festi Ord. et univers.* (decr. n. 3497); *Festum* (dignitas; decr. n. 3841); *Transl. (festi univ.)*

Si eadem die occurrit festum particulare et universale, est recitandum officium de particulari, dummodo sit antiquior, ex concessione S. R. C. 2. Mart. 1681. Si vero festum sit de praecepto in Ecclesia universali, erit officium de festo univers. et fiat translatio festi particularis. N. 4175 ad 1 die 4. Septembris 1745.

Occurrente eadem die festo 9 II. Calendarii particularis cum altero festo Calendarii universalis, quae tamen sint ejusdem ritus, prius recitari debet de festo Calend. part. et postea universalis.

S. R. C. 22. Jan. 1689. *In Senogall.*

In occurrentia festi Calendarii particul. et festi universalis cum paritate ritus et sine excellentia majoris dignitatis, faciendum est de primo translato secundo.

S. R. C. 12. Julii 1704. *In una Urbis et Orbis.*

Quaesitum fuit: an festa dioecesis occurrentia eadem die cum festis romanis praeposenda sint festis rom. ejusdem ritus et solemnitatis, e. g. die 4. Decbr. festum dioeces. s. Barbarae occurrit cum festo dupl. rom. s. Petri Chrysologi, quaeritur: Quale festum sit prius celebrandum?

S. R. C. resp.: Detur decr. sub die 21. Julii 1704. Die 25. Junii 1736.

In occurrentia festi Calendarii particularis et universalis cum paritate ritus et sine excellentia majoris dignitatis faciendum est de primo, translato secundo. n. 3700 ad 3. die 12. Julii 1704; n. 4049 ad 1 die 25. Junii 1736; n. 4056 ad 1 die 16. Februarii 1737.

Ad dub.: Si officium, quod die fixa celebratur in aliqua dioecesi, per Sedem apostolicam ad aliam dioecesim extendatur, potest aut debet celebrari eadem die, amoto officio Ecclesiae universalis? Et in casu negativo, quid faciendum si talis amotio ab annis jam facta fuerit?

S. C. resp.: „Negative ad primam partem; iterum supplicandum quoad secundam.“ N. 4669 ad 40 die 12. Novembris 1831.

Si aliquod festum sive dupl. sive semid. pro universa Ecclesia noviter a Sede apost. institutum vel institutum occurrit singulis annis eadem die cum festo dioecesis ejusdem ritus debet fieri officium de festo instituto pro Ecclesia universali.

S. R. C. 15. Martii 1689. *In Herbipolen.*

1) Perpetua (transl.)

Quando licet Episcopo?

Vd.: *Transl. festi a die propria amoti*; *Transl. festi perpetuo translati*; *Calendar. Dioeces.* (jus reformandi); *Dies fixus*; S. Gregorius VII.

Episcopo non licet, inconsulta S. C.

in dioecese Synodo, occurrentibus in eodem die duobus festis Sanctorum, quorum unum sit transferendum in primam diem non impeditam, statuere in perpetuum diem aliquem determinatam pro celebratione dicti festi translati, quamvis non sit ille, quem determinat rubrica, ita ut occurrente dominica vel alio festo minoris solemnitatis non impediatur, tamquam non translato, sed proprium illi diei addictum, cum talis occurrentia in dioecesi sit perpetua. N. 1563 die 11. Augusti 1646.

Ad dub.: An festo B. M. V. de Pace perpetuo impedito in Dom. IV. Octobris ob occursum festi anniversarii vel diei octavae dedicationis Ecclesiae possit Ordinarius assignare aliam diem non impeditam?

2. An, quatenus affirmative ad primum, possit assignare dominicam vel IV. Sept. vel III. Novembris?

Et S. eadem C... rescribendum censuit

Ad 1: „Negative, haec enim officia assignata sunt certis diebus, quae tamen non sunt dies propriae, de quibus decretum alias editum.“

Ad 2: „Provisum in primo et in casu supplicandum pro translatione ad primam diem liberam.“

Atque ita rescripsit. N. 5182 die 25. Septembris 1852.

Vd.: *Sancti et libit.* (assign. diei etc.); *Calendar. dioeces.* (Jus reform.)

Porrecto in S. R. C. ex parte PP. Societatis Jesu Monachii in Bavaria supplici libello pro assignatione nonnullorum festorum sanctorum eodem die cum aliis Sanctis occurrentium, tenoris sequentis:

Emmi et Rmi Domini. Cum P.

Meratus in suis observationibus ad Gavantum in rubr. tom. 2. sect. 3. c. 10. de occurrentia divinor. Officiorum asserat, quod si duo festa, etiam aequalis ritus, eodem die constanter in perpetuum occurrunt et idcirco alterum eorum transferri debeat, prima dies proxima non impedita assignata censi debet in perpetuum pro die propria festi resp. translati, quaeritur: An liceat absque alio recursum ad S. R. C. iis, ubi talis perpetuus festorum ejusdem ritus occursum constanter contingit, diem primam proximam non impeditam tamquam propriam translato ipso facto assignare eamque pro die fixa in directorio declarare, an vero pro tali declaratione et assignatione ad eandem S. C. recurrere oporteat?

Sunt Monachii Bavariae Metropolis in templo Societatis Jesu ob plures insignes SSrum reliquias serenissimo Duci Guillelmo ejus Fundatori etiam ab urbe illi missas aliquot festa dupl., quae constanter cum alio festo in die eodem occurrunt ac transferri debent, videlicet: 3. Januarii s. Anterii P. M. (omittimus elenchum festorum, quae ob occurrentiam perpetuo sunt transferenda.)

Quaeritur igitur: an dies primae proximae non impeditae, quae post enumerata officia dupl. sequuntur et recipere in se translata possunt, cuilibet eorum ut propriae in perpetuum fixae in impresso templi directorio deinceps assignari valeant? Nisi enim id fiet, multa identidem festa conjungenda sunt et uno anno unum et proprium ritum, alio vero alium attribuere necessitas cogit, ut ab aliquo tempore, quo nova festa sunt aucta, factum est.

S. C. resp.: Prima dies proximae non impedita assignanda est cuilibet